

Dissertatio inauguralis medica, de belladonna, tanquam specifico in cancro, imprimis occulto / [Ferdinand Christoph Oetinger].

Contributors

Oetinger, Ferdinand Christoph, 1719-1772.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1739]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wht69m6u>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
BELLADONNA,
TANQUAM
SPECIFICO IN CANCRO,
IMPRIMIS OCCULTO,

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSVETIS

ANNO MDCCXXXIX. D. SEPTEMBR.

Publicæ ac placidæ Eruditorum ventilationi subjiciet

FERDINANDUS CHRISTOPHORUS OETINGER,
GÖPPINGA - WÜRTEMBERGENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

DE

LABORUM

SPECTATIO IN CANCRO
EMBRIONIS OCCULTO

AUSPICE DEO PROPOSITO

IN ACADEMIA MEDICA

IN ACADEMIA MEDICA

IN ACADEMIA MEDICA

N. I. MICHAEL ALBERTI

PRO GRADU DOCTORIS

IN ACADEMIA MEDICA

IN ACADEMIA MEDICA

IN ACADEMIA MEDICA

IN ACADEMIA MEDICA

IN ACADEMIA MEDICA

IN ACADEMIA MEDICA

IN ACADEMIA MEDICA

IN ACADEMIA MEDICA

IN ACADEMIA MEDICA

IN ACADEMIA MEDICA

IN ACADEMIA MEDICA

IN ACADEMIA MEDICA



BENEVOLE LECTOR.



Quidem sic mecum plane existimo, neminemque fore arbitror, qui inficias iverit, in maximam nos tunc præsertim rapi admirationem, cum repente terram & maria, cælumque videmus, ac nubium magnitudinem ventorumque vim cognoscimus, adspicimusque solem, ejusque tum magnitudinem pulchritudinemque, tum etiam efficientiam; cumque totum cernimus cælum astris distinctum & ornatum, Lunæque luminum varietatem; & quæ egregia in hac mundi magnificentia, summi, quod veneramur, numinis, opera sunt alia. Cum itaque quondam Rex David, id ipsum secum meditaretur, atque attentius cogitaret, prima data copia in candidos hos interioris animi sui motus palam declarandos exporrecta fronte protinus prorumpebat: Magna inquit & mirabilia sunt opera Domini. Et vero L. B. nullus unquam dubito, quin æqui bonique consulas, me optimo jure, ut opinor, verba hæc psaltis facere mea, qui pertentare ex omnibus partibus, quantum perexigua virium mearum tenuitas permittit, apud me constitui, indolem singularem plantæ cujusdam, quæ usque huc nullum in pharmacopoliis locum obtinuit. Quid enim postulari putem ab ista doctrina? Res ipsa non cogit, ut universi, qualate patet, amplissimi quaslibet partes mentibus nostris circumspiciamus; aut qui sumus, ut ipsa natura a nobis exigit, Dei cælique contemplatores, hanc impri-

mis ob causam sublimiori ac diligenti aeris meditatione, cujus animantes sustinemur inspiratione, vehamur ad astra; aut quæ locorum sive speluncarum valde absconditis atque detrufis latent occultationibus & perscrutemur & proferamus in lucem: siquidem summa ubique locorum exsplendescens Dei sapientia facili negotio conspici potest ac palpari in obscuriori quoque tenuium turba. Hinc alto decrevi præterire silentio & corporis humani summo artificio factam fabricationem; & animi quem communis conditor nobis indulsit, præstantiam; & nobilissimam plantarum structuram pariter ac incrementum & generationem; & denique maxima dignum admiratione lusum colorum: Multa enim profecto eaque mirabilia vires cujuslibet plantæ declarant, quæ simulac mentibus obversantur, manu quasi nos ducunt ad Deum creatorem operis tanti sapientissimum. Vix crediderim sane, excogitari posse aliam rationem, qua benigna Dei clementia ac sapientia clarior atque illustrior evadere possit, quam qua evasit adhuc, ut plantam quamcunque, etiam si contemni semper ac pro nihilo putari solcat ab hominibus eximia virtute instruat, qua miseri nos calamitatibus haud raro obviis medelam afferre, vitamque nostram contra permultos morborum insultos conservare possimus. Quod si itaque progrediamur ulterius & ibi invenerimus artem ab hominum intellectu excogitatam, venenatas etiam plantas earumque interiores vires, occultissime ipsis a Deo inditas, ita in commodum nostrum convertendi, ut, usus earum legitimus graviores debellare queat morbos; obstupescemus sane, cum hoc nobis fuerit demonstratum. Jam vero assiduus diurnis nocturnisque lacrimis vix deplorari satis potest, eo audaciæ plerosque procedere homines, ut hunc tam magnum quamvis ac in accessum nihilominus tamen tam clementem & benignum Deum O. M. nec agnoscant, nec, ut eos decet, agnoscere studeant. Tantum abest, ut eum, qui totum orbem terrarum nominis sui gloria implevit, collaudent ac celebrent, ut ne venerari quidem ac colere eundem contendant. Sed hi vere sunt, qui ingentem ingrati-

tudinis

tudinis notam incurrentes, iniquissime agunt contra infinitam Dei bonitatem, eandem non solum contemnendo, quanquam & hic animus horret, sed etiam, quod durius dictu, creaturis malitiose abutendo, ita, ut salutari earum virtute, quasi eandem nesciant, neglecta, venenum eliciant, quo socio mortem confeiscant.

Tristissimum idem experimur in Bella Donna nostra; venenum continet & medicamen; similis est arbori illi cujus amœni fructus parentes nostros alliciebant, sed meritam curiositatis mercedem postea præbebant, arrident equidem baccæ ejus & splendido suo nitore oculis & grato sapore palato, sed stranguant deglutitæ œsophagum mentem turbant & mendacia per somnum monstrant, imo miseram in æternam mutant vitam, at recte adhibita planta morbis medetur iis quibus alia medicamenta fuerunt imparia.

En igitur admirandæ sapientiæ divinæ argumentum! quod ipsum me impulit, hanc, quam præsentēs pagellæ exhibent materiam elaborare. Numerabatur scilicet hucusque Belladonna inter venena, quæ tamen præter alteram virulentam alicubi qualitatem, mirifice medetur veneno canceri teterrimo.

Ne vero prolixius Te morer, B. L. tribus expediam verbis; Non ingratum sed ratum acceptumque Tibi habere ne graveris qualecunque hoc tenuitatis meæ Specimen. Veritatum nucleos erue, errores, si forte irrepperint, dimitte & fave

A U T O R I.

§. I.

Belladonna, solanum manicum, furiosum, sylvestre, *μελανο-
κερασον*, Dollkraut, grosser doller Nachtschatten, Wolffs-Beer, Wind-Beer: est planta flore monopetalo, campaniformi & multifido, ex cujus calice surgit pistillum, posticæ floris parti, instar clavi infixum, quod deinde abit infructum veluti globosum, mollem, septo intermedio in duo loculamenta divisum & seminibus placentæ affixis. *TURNFORT. Instit. rei herbar. Class. I. Sect. I. gen. 2.*

p. 77. *huic in Johannis Guilielmi WEINMANNI Phytantoza-Iconographia rit. Belladonna* p. 138. prolixior accedit germanica descriptio: Belladonna ist ein schädlich Gewächs, welches 5. Fuß hohe Stengel treibt, die nicht eben gar zu dick, rund und ästig, dunkelroth und mit Blättern besetzt sind, die dem gemeinen Nachtschatten nicht ungleich sehen, aber wohl 2. bis 3. mahl so breit, groß, lang und weich, auch in etwas rau und wollicht seynd. Die Blumen kommen im Majo und Junio an kurzen Stengeln zwischen dem Stengel und Blättern hervor, und sehen dunkel Purpur-Farb aus, sie sind länglicht hohl und haben die Gestalt einer Glocke, so gemeiniglich 5. mahl gefeibet ist, und auf einen Kelch sitzt, der einer kleinen ausgezackten Schüssel gleicht. Denen Blumen folgen erstlich kleine runde Beeren, als wie eine Weintrauben-Beer, denen schwarzen Kirschchen nicht ungleich, voller Saft und kleinen oval-runden Saamens. Die Wurzel ist lang, weiß und saftig, bißweilen Arms dick und theilet sich in unterschiedene Zweige; Dieses Gewächs, wächst im Holze an Mauern und Hecken, an schattigten Orten; es giebt 2. Sorten, die nur darinnen unterschieden sind, daß der einen Blätter grösser sind, als der andern.

§. II. Verum enim vero hic mentem non habeo, ea perquirendi, vel iis solícite immorandi, quæ propriæ ad scopum, quem mihi esse volui non pertinent; cum mea non intersit, hoc loco agere & moliri, sed actum potius agerem, si summa cura studioque omnibus indagarem vestigiis, an rectius hæc planta annumeretur plantis bacciferis vel plantis flore monopetalo; an floreat in mense Junio, Julio, Augusto vel omnibus simul; an duæ vel tres sint species; an vocabulum solanum sit derivandum a voce solari, nec ne; vel an Belladonna dicatur ob usum cosmeticum; an vero quia in insomniis pulchras ostendere fertur scæminas; an sit vocabulum corruptum ex bellonaria; an ob pulchram, quam præ se fert speciem; vel utrum etiam ex ingeniosa & peracuta Italorum indole, plantæ nomen sit impositum, quo tanquam symbolo & emblemate designare solent excellentem muliebris formæ pulchritudinem, scædissimis scatentem vitiis, quæ quidem suis illecebris alliciat, ejusmodi vero fructus simul præbeat; quales SALOMON in *proverbiis* Cap. V. 3. & SYRACIDES Cap. XIX. graphice depingit. vid. SICELIUM de *Belladonna. Commercia literaria Norimbergen.*

bergensia Ao. 1731. *Specim. XLII. n. 4.* multo minus proposui, disquirere, an sit planta saturnina, an lunatica, five saturnino martialis, uti pluribus id demonstrare conatur, Excell. FABER in sua *Strychnomania*.

§. III. Quare ut ad propositum propius accedam unicum adhuc præmonendum existimo, quod quam longissime a destinatione mea jaceat, totam plantam examinare, sed objectum Dissertationis sola constituat Herba solani furiosi, in qua describenda alienis pennis chartam replere nolo: Qui enim scire cupit exempla de nociva & venenata indole baccarum, legat in *Commerciis Literariis Norimberg. Ao. 1731. Specim. XLII. n. 4.* WEPFERI *commentario de cicuta aquatica* p. 226. FABRI *Strychnomania*. ZORNII *Botanologia Med. tit. Solanum*, conf. WEINMANNI *Phytant. Iconograph. l. c.* Sicut quoque Dn. D. PRÆSIDI ejusmodi exemplum oblatum fuit, ubi a baccis pro Cerasis aut esculentis fructibus comestis duobus pueris lethalis provocatus fuit effectus: quod annexo simul prudentissimo consilio forensi, publici juris fecit in sua *Jurisprudencia Medica* p. 580. *Tom III. Cas. 38.* Radicem vero plantæ quod speciatim attinet, ejusque virulentiam venenosam, per multa quoque prostant exempla quorum nonnulla proferre, serena fronte acceptum iri a L. B. haud temere confido: Sic *Baptist. PORTA* inquit, quod recte data, per diem jucunde insanire faciat & somno superveniente venefica virtus tollatur; quod innoxie agat, variasque visiones producat; p. 324. *Libr. VIII. cap. II.* *Rudolphus CAMERARIUS* in suis *memorabilibus censur. III. §. 53.* memoriæ tradit; quemadmodum hospites ad convivium non vocati arceri & spe sua frustrari possint, si scil. radix in vino maceretur & vinum deinde bibendum præbeatur: quo facto omnis simul appetitus cibi potusque ita supprimatur & quasi extinguatur, ut dum solo aspectu satiari oporteat illos, ipsos accessisse peniteat; quod autem symptoma capto, somno vel vitro aceti sumto, rursus evanescere itidem monet: Pari ratione refert quod mulieres italorum faciem hac radice decorent. Et tandem §. LIV. stratagema quoddam militare memoratu dignum exponit, scil. quod cum quondam pars hostium intellexisset in castris suorum adversariorum ingentem sævire penuriam, hæc, vinum solani radice venenatum prope castra eorum præterve-

hen-

hendum curarit, ea quidem mente, ut adversarii cupiditate prædæ allicerentur. Atque hoc stratagema opratum successum habuisse, hostes enim hoc vinum ingurgitasse & deinde ob temulentiam alto somno obrutos ab inimicis suis facili negotio hac insidiarum fraude oppressos fuisse. Sic quoque SICELIUS differratiunculam edidit, quæ proprie de radice solani furiosi agit, siquidem ei ad hunc tractatum occasionem præbuit error pharmaceuticus, ubi radix plantæ hujus cum radice Cichorei ex improvviso commixta, varia edidit phænomena. His itaque missis non necessarium quoque duco, ut antidota hujus veneni hic recenseam & multo minus verbosiori illustratione symptomatum nexum causalem disquirere annitar.

§. IV. Cum itaque in exploranda virtute Herbæ nostræ occupatus sim, recordor, quod Celeberrimus HOFFMANNUS, Senior noster venerandus, in *Systematis sui Tom. III. Sect. II. cap. III. §. VII.* in potissimum tertiam causam ignorantiae virtutum simplicium constituat, quod perpauci illis adminiculis sint instructi, quorum ministerio elementa & principia, quibus medicamenta agunt & in corpore operantur, indagari & cognosci possunt; licet igitur ad illos pertineam, qui, (uti loquitur paragraphus) asserunt, aliam esse medicamentorum actionem & corporum physicam, juxta physicam explicabilem, aliam vero medicam ad vivum corpus relata; sicut hoc uberius demonstravit D. D. PRÆSES *tr. de medicamentorum modo operandi in corpore vivo*, monstrabo tamen re ipsa, minus me negligere principia physica, sed in quantum minus coacte & salva ratione fieri poterit, utilia eadem agnoscere. Ideoque ne ejusdem erroris adcufer, evolvo Prioris Tomum primum opusculorum ejus physico medicorum, eum in finem, ut secundum compendiosam methodum, ibi insertam vires plantarum indagandi, & ipse procedam, idem tentaturus. Cui ad latus peno WEDELIUM in *Amœnit. mat. med. Cap. III. IV.* SCHROEDERI *Pharmacol. Libr. I. Cap. 39. 40.*

§. V. Quod itaque concernit primam investigationis viam, scil. convenientiam Characterum Botanicorum, regulæ illius, ita comparatæ sunt, ut sub nulla comprehendere possim meum solanum furiosum: Ipse autem observo, quod cum Nicotiana & Hyoscyamo figura conveniat floris.

Alte-

Alteram itaque ingredior, saporem & odorem examinans: Ille se primum prodit Herbaceo-acriusculum paulo post vapido-nauseosum, linguae inertiam cum subadstrictione relinquens; Triplex inde judicare licet principium: Sal austerum sulphur vaporoso-narcoticum & terreum mucilaginoso adstringens; Hic in flore adversus, in herba autem fere nullus percipitur, digitis vero contorsa spirat gravem volatilem & vaporosum odorem, imo cum in mortario contunderem herbam, pro exprimendo succo, gravedinem mihi induxit: ex quibus intelligo illud sulphur narcoticum quidem esse volatile, artius tamen mucagine implicitum. Id quod etiam HERMANNUS in *Cynosura mat. med. tit. Solanum* affirmat, cum plantam hanc ad illas referat species, quæ mucagine & principio volatili polleant.

§. VI. Tertia restat via, scil. argumentum ex loco natali desumptum, pro indagandis viribus; Qua occasione mihi in mentem venit, quod cum olim Sulzæ degerem, & semel Horbam peterem, in via inter Neccarhufam & Horbam, ubi citra fluvius Neccar, a latere vero altus mons erat, magnam invenerim sylvestris solani copiam; Crescebat ex latere montis, erat alta, magna, Locus ipse desertus absque ullo ordine, arboribus & sepibus sterilibus instructus, solum humidum, cum rivuli exsudantes ex montis cacumine defluerent, & tamen una lapidibus refertum, erat. Memini quoque in ipso illo loco me multum Absynthii invenisse. Sed ex his singulare quid deduci posse, non crediderim, rectius liberæ voluntati lectoris relinquendum existimans, cum ex mea parte credam conclusiones ex solo deducendas in certas esse, saltem tam diu, usque dum melius illustrentur & per accuratorem & specialiolem indagationem certiores regulæ producantur: imo fere plane in certum hoc argumentum judicarem, cum eandem plantam, de qua jam loquor, ejusdem altitudinis magnitudinis & elegantiae inter lapides & muros crescentem in antiqua arce Albeck dicta viderim. Præterea cum aqua pluvialis omnium principiorum primordia continere dicatur, & teste HELMONTIO, terra calcinata & pluviae aqua omnes plantæ crescant, pluvia vero quævis conspergat loca, sequitur quamlibet herbam ubi vis locorum gigni posse. Lubentius adhuc argumentarer ex climate vel constitu-

tionē aeris, quod a posteriori vel maxime probatur, & rationi minime repugnat, cum secundum constitutionem calidioris vel humido-frigidioris aeris aut exaltentur particulæ sulphuræ, aut alia plus operari possint.

§. VII. Ut denique ad signaturas progrediar; nescio sane, an subsit naturæ miraculum, an ingenii figmentum. Certissime hoc mihi persuadeo, quod nullum exinde fluat argumentum demonstrativum, nec invenio signaturam probabilem, nisi forte alicui imaginario arriserit, Cerasa, ut ita dicam, plantæ hujus, minutioribus nodulis initium capientia, tempore ad majorem magnitudinem incrementa, & tandem ex nigro livefcentia, anodyna, scirrhus illo item ex parva stasi incipienti & ad majorem molem temporis mora pervenienti, livefcenti, maximeque dolorifico, a natura esse opposita; Sed lubens confiteor, has cogitationes eo tempore me fovisse, quo me imaginarium signaturarum depictorem simulavi, quas si ad sanæ mentis trutinam revoco, ipse in risum solvor. Aliis placuit, radici signaturam cancri adscribere, & fibras minutiores tanquam pedes cancri reputare: nec ego cum iis certabo qui malunt, baccas hujus plantæ ut oculorum effigiem sibi concipere, ubi calix musculos anatomice separatos & caulis nervum opticum designet, quod inde deducunt, quod solanum furiosum oculis noceat.

§. VIII. Sed anceps hucusque hæreo, & pleraque conjecturæ obnoxia adhuc existimo, ea propter in mentem venit, utrum certior de principiis constitutivis fieri possim fortassis, per mixtiones diversorum liquorum cum succo solani hujus. Sed horum experimentorum usum fere nimis extendere mihi ipsi videor & nonnullos jam tacite subridere audio, qui experimenta per reagentia etiam in acidulis pro incertis proclamant: Sed eam ob causam, nulli me contentioni immiscebo, sufficiat non omni, hoc, utilitate carere, & sane si quid judico, æque certum vel certius est, quam per saporem & odorem, de quibus quoque dubia moveri possent, cum ille ratione discriminis individualis salivæ, hic ratione differentiarum aeris, nec non humiditatis & siccitatis narium, multis varietatibus obnoxius sit: imo ambo describi non possunt juxta differentias suas específicas. Hinc ne Le-

ator Benevolus curiositatem nostram irrideat & contemnat, neque eum pœniteat temporis, quod legendis his paucis lineis consumserit, enixe rogo atque obtestor: forte enim si ego multa concludere nequeam, alii existunt, qui in elicienda firmiore conclusione me feliciores erunt; præsertim cum doctiores viri nos antecesserint, qui eadem cum succo baccarum tentarunt & in *commerciis literariis Norimberg.* communicarunt. *Ao. 1732. Hebd. 16. p. 122.*

§. IX. Quem in finem succum expressi foliis & unciam unam sibi relictam reposui in vitro, quo in succo solo etiam mutationem observare possem: primum ille erat atro viridis, post duodecim horas atro viridescens & insuper post viginti quatuor horas, ex albo-viridescens deponebat sedimentum, a priori quam maxime distinctum, relicto superius liquore turbido, fusco. Sedimentum erat viscosum, quod inde conjicere licuit cum haud facile agitando elevari posset: Succus vero postquam eum calori exposui in fulvum, suum mutavit colorem.

2. Mixto olei Tartari per deliquium scrupulo uno ad succi unciam dimidiam, brevi post sedimentum viride subsidebat, non viscosum, sed quasi pulverulentum, relicto liquore pellucido, flavo, cui post longiorem moram superius circulus quasi oleosus, colore obscuriore distinctus innatabat.

3. Aquâ calcis vivæ anatrice cum succo mixtâ, in fundo apparebat elegans sedimentum, viriditatem psittaci referens, quasi pulverulentum, relicto liquore lucido flavo.

4. Mixto spiritus salis ammoniaci cum calc. viv. scrupulo uno ad succi unciam dimidiam, peractis duabus horis parum sedimenti sese separabat, etiam viriditatem psittaci referens, relicto liquore pellucido brunno & apparebat idem circulus obscurior, paritet ac in experimento secundo.

5. Mixto spiritus salis commun. Vitrioli, Nitri, uniuscujusque scrupulo uno ad succi unciam dimidiam eadem fiebant mutationes: mox pallidum scil. cinerei quasi coloris, flocculentum sedimentum fundum petebat, liquore citrini coloris remanente.

6. Solutione Vitrioli Cyprii cœruleâ saturatâ, anatrice succo per-

mixtâ, pulcherrimum sedimentum viride subsidebat, & ipse Liquor remanens eleganti colore viridi præditus conspiciebatur.

7. Acetum destillatum æquales omnino producebat mutationes, ille nempe in quas cum acidis mineralibus abibat succus.

8. Mixto scrupulo uno Syrupi Violarum ad drachmas duas succi, ille statim mutabat colorem & tandem mucidum turpe ex glauco viridescens sedimentum deponebat, brunno remanente liquore, qui postquam præter voluntatem calorem prope furnum Chemicum experitus erat, in rubellum colorem transibat.

9. Eodem tempore accidit, ut narium stillicidium cruentum memet invaserit & hac occasione commode attendere & annotare potuerim actionem hujus succi in sanguinem: Succus itaque unciam unam vitro, quo solito potum haurire consuevi, infundebam, eoque guttulas profluentis enaribus & adhuc calentis sanguinis illabendas curabam, singulæ guttæ separatim se coagulabant, evanescente demum, horæ dimidio præterlapso, sensim sensimque elegante rubedine in atro fuscum colorem: Cum post horas duodecim iterum inspicerem vitrum, colliquefactæ omnes guttulæ in fundo apparebant, tanquam sedimentum atro-fuscum, non mucaginosum, sed pulverulentum quasi. Octiduo exacto ne minimum quidem signum putrefactionis vel fœtoris, animadvertere licebat, quanquam id æstatis tempus degeremus, quo Sol, in Zodiaco Leonis regionem transmigrare ab astrologis scribitur.

10. Contusa denique nonnulla folia, lacti immergebam, quo facto statim oleosæ lactis partes secernebantur (vel ut ajunt flos lactis) superiora petentes, remanente tamen lacte albo, fluido, & eandem quatuor dierum spatium retinebat indolem, quibus vero præteritis, nocte in minutum caseum cum contusis foliis abibat, spongiosum, fero supernatantem citrino, claro, denso ac instar olei lento, saporis salini quidem, sed non acidi, uti alias serum lactis, odoris suavissimi valde penetrantis hyacinthino simillimi.

Notatu denique dignum adhuc est, odorem in omnibus & singulis mixturis diversum & mutatum fuisse, in gravem, suavem, nauseosum, adversum, fere nullum &c. quæ tamen differentia propriis characteribus aptis describi nequit, præterquam quod in mixtione cum acidis

acidis fere plane evanuerit & uti jam monui, in lacte macerata folia hyacinthinum omnimode æmulata sint & penetrantissimum spiraverint odorem; qui tamen postquam flos & caseus, colaturâ fuerant separata, brevi evaporabatur, relicto adversum spirante sero.

§. X. Videntur fere nonnulla horum phænomenorum sibi contraria, cum notabiles mutationes tam alcalina, quam acidâ effecerint; Sed facili negotio comparantur, si consideres quod alcalinorum non vera mutatio, sed exaltatio potius, Acidorum vero fixatio nominanda sit; in omnibus, cum fixis & volatilibus alcalicis, mixtionibus sedimenti viridis color permanebat, liquor fuscum servabat colorem, nisi quod clarius tantum & rubicundior evadebat, e contra acidâ non solum, (etiam in pauca quantitate) sedimenti colorem subito tollebant, & in cineritium quasi mutabant, sed & liquorem pallide flavum efficiebant, cum vero nullo modo ab utroque nec acido nec alcali, effervescentia exorta nec ejusdem minimum indicium observatum fuerit, ex eo, ratione principii salini, neque acidum neque alcali, sed potius principium sulphureum volatile principale & activum concludere ausim. Quanquam enim syrupi violarum cœruleus, in fulvum colorem defecerit, hoc ipsum tamen æque sulphureo-volatili principio adscribi potest, eoque magis concludendum, quo per calorem, color denique in rubellum mutatus fuerit, postquam scil. calor principium istud magis liberavit, sui que plus juris fecit: Porro magis adhuc sese manifestat, volatile principium, mutatâ cœruleâ solutione Vitrioli Cyprii in viridem, quæ mutatio, ut constat, a plurimis volatilibus producitur. Varia etiam odoris mutatio luculentum est indicium hujus volatilis principii, quod prout vel in fractum & ligatum vel liberatum fuit, varios emisit odores, & proinde hac ratione egregie nobilitabatur fermentatione cum lacte. Nil aliud certe coagulationem lactis, per quatuor dies, in canicularibus diebus, impedivit, nil pariter tam subitam mutationem fecit, uno momento, ut oleosæ a caseæ s. separentur particule, nisi volatile illud specificum principium; mirifice quoque consensit experimentum cum sanguine factum, quælibet quidem gutta sanguinis separatim sese coagulabat, non autem ex acidi cujusdam principii causa, sed quia sanguineæ guttæ calidæ, frigido succo illapsæ

fuerant, quanquam etiam sulphur vaporosum suum symbolum forte attulerit; nam suum servabant colorem, (qui statim disparuisset & in atrum abiisset, si quid inextitisset acidi, uti succus ex baccis tanquam vere vinoso acidus id monstrat) donec volatile in aerem avolavit & crasso sulphuri soli imperium reliquit, sanguinem colliquefaciendi, & in fundum sub specie atrii sedimenti, præcipitandi.

§. XI. Sulphureum itaque volatile, quod insit, principium, perspicuum omnino est: id ipsum vero quod variis adhuc commixtum sit particulis, statim monstrabo: primum experimentum clare testatur, multum mucaginis in succo contentum esse, primo enim sedimentum elapsis demum duodecim & viginti quatuor horis deponebat, deinde tenax illud erat & agitando non facile poterat excuti e fundo, quod utrumque non observandum fuit in mixto cum alcali vel acidis succo, ubi mucago salibus fuit resoluta; sic etiam porro Liquor innatans turbidus mansit, donec partes mucaginosæ calore condensatæ, coagulatæ & separatæ fuerint; Salinum vero principium probatione non indiget, nam ex solo gustu satis jam conjicere pronum est, & potissimum sedimenti partem constituere, probabile. Sed restat adhuc contentum quoddam præcipuum examinandum & probandum, sulphureum scil. crassum; Sponte id quoque patet, si consideres atro viridem herbæ colorem, actionem alcalinorum, actionem in sanguinem & notabilem illam mutationem grati odoris in adversum; imo ipsum sedimentum duplex testimonio esse potest.

§. XII. Quatuor igitur principia potissima distinctu facilia sunt, mucago, austerum terreo-salinum, sulphureum crassum & subtile volatile quoddam principium; Quoniam vero ipse adhuc in nonnullis dubius hæsito, nec plane convictus sum, malebam plantam exactiori examini subicere & majoris certitudinis causâ per ignem scrutari; imprimis vero quatuor experimenta Chymica institui, quæ brevibus quidem, sed accurate proponam, experturus, in quantum me certiores reddant, vel conclusio meo respondeant; sed excusatum me haberi velim, qui quatuor experimentis, omissis atque neglectis ceteris, contentus fui, probe gnarus, non nihil præter hæc tentandum esse residuum, sed brevitatis temporis partim vela contrahere jussit, partim
vero

vero sufficientis herbæ penuria persequi prohibuit, quod posterius etiam effecit, ut minorem copiam singulo experimento destinare coactus fuero.

§. XIII. Recipiebam tres manipulos Herbæ recentis, qui ex triginta foliis constabant, hos contundebam in mortario lapideo, quo in pulposam redigebantur massam, hanc porro retortæ inclusam arenæ imponebam & lenioris caloris gradu omne liquidum abstraherebam, quod duplex prodiit, limpida scilicet aqua & Liquor flavescens; deinde plenariæ ignis potestati committebam eandem retortam, eoque gradatim intenso tota retorta per integram horam candeat; unde accipiebam turbulentum flavum liquorem, materiam flavam, quasi ceraceam, oleum Empyrevmaticum nigrum, remanente in retorta capite mortuo.

Aqua Limpida erat insipida, sed grati odoris, instar florum acaciæ, quem amittebat temporis mora, pendebat uncias duas.

Liquor flavescens adversum spiliabat odorem & acrem quodammodo amaricantem linguæ imprimebat saporem; neque cum alcali neque cum acido effervescebat, neque turbulentus evadebat; pendebat drachmas duas.

Liquor flavus turbulentus acris erat odoris & saporis cum amaritie quadam; alcali mixtus post horæ spatium purior nitebat, nulla antea facta effervescencia, nec subsequente sedimento; cum acido turbidus manebat, nec effervescenciam concipiebat, nec sedimentum deponerebat; pendebat drachmam unam.

Materia flava quasi ceracea: oleosa erat spissiuscula, vehementis odoris; ab explorando gustu abhorrebat, ceterum pauca quæ separari poterant pendebant grana duodecim & postquam denuo vitro illi injeci, quod continebat priorem liquorem cum alcali mixtum, sensim sensimque absorbebatur & post horas quatuor omnis absorpta & resoluta erat, tandem vero aliqua iterum ejus pars in sedimentum farriscebat.

Oleum nigrum Empyrevmaticum: fetidissimis totum hypocaustum venenabat exhalationibus, instar olei philosophorum; pendebat drachmam unam. Gutta solutioni Salis Tartari injecta manebat in sua essentia

sentia paululum tingens aquam flavedine; aceto vero destillato, aliqua guttula instillato, magis coagulabatur, ut rotundam servans formam, instar pisi supernatarit, & perquam parum tingeret, ac vix potuerit animadverti.

Caput mortuum erat porosum & quasi mineram ex cineritio argenteam referebat, intermixto elegantissimo cœruleo nonnullis locis colore, qui tamen post moram disparebat & tota massa ex aeris il lapsu nigra tangebatur, non autem, nec pluribus diebus, per deliquium fluebat, saporis erat salini alcalini, & non obstante multitudine leve nihilominus erat, & non nisi drachmam unam pendebat, dabat salis grana triginta duo, relictis terræ grana triginta & uno, an vero ex aere vel aqua aliquid accesserit, plane ignoro. Sal acriter effervescebat cum acidis, terra aceto destillato injecta, etiam aliqualem, sed levissimam ebullitionem efficiebat, spirans interea odorem instar ovorum semiputridorum. Hinc patet unum folium circiter continere liquidi scrupulos duos, materiæ volatilis granum semis, olei Empyreumatici s. Sulphuris crassi vaporosi, grana duo, Terræ & salis alcalici ana granum unum.

§. XIV. Recipiebam postmodum triginta folia, eaque minutim contusa, cum drachma una salis tartari purissimi retortæ includebam, orificio ejus obturato, eam per duos dies digestionem exponebam & nullam interea notare mutationem poteram; tertio itaque die illam retortam in arenæ balneum collocabam, lento igne admoto: Valde molestus & languidior & longior multo erat priore, hic labor, vix enim calorem perferre poterat, eoque saltem parum adaucto, tota massa in spumam exagitata, arcum retortæ transcendere minabatur, & nisi statim ignis esset remotus, omnia sine dubio expulisset, hinc tam caute mihi procedendum erat, ut vix duas guttulas uno momento elicere integrum mihi foret, cum tamen in antecedente experimento, sex in momento stillarint: Sic cum patientia denique fluidum omne idque duplex in arena propellebam, aquam scil. limpidam & aquam turbulentam; postea vero mediante igne aperto, paucum liquorem flavum, oleum rubrum & pauxillum aterrimi olei capiebam, relictis in retorta capite mortuo.

Aqua limpida erat insipida & adversi odoris, neque cum alcali, neque cum acido effervescebat; pendebat unciam unam & dimidiam.

Aqua turbulenta etiam fere erat insipida, sed fortioris odoris, nec acido, nec alcali effervescentiam inibat; pendebat drachmas quinque & dimidiam.

Liquor flavus erat spiritus volatilis, penetrantissimi odoris & ignei saporis; cum aceto destillato acriter effervescebat, nullum tamen postea sedimentum deponebat; pendebat drachmam unam & aliquot grana.

Oleum rubrum etiam volatilem & penetrantem spirabat odorem; gutta una aceto destillato immissa, mox colore rubro spoliata, atrum induebat & coagulabatur, aceto paululum tincto, nullam contrapiciebatur mutationem gutta alcalinae solutioni immissa, nisi quod paululum tinxerit solutionem; Spiritu vini immissa guttula ad dimidiam partem soluta erat, tingens spiritum vini fulvo colore; pendebat scrupulos duos & dimidium.

Oleum nigrum foetidissimum erat, acriter inhærebat recipienti & retortæ collo, nullo modo inde separabile, nisi duro instrumento, aqua enim calida immissa illud non emolliebat, sed paululum tingebatur, vix autem ultra decem guttulas erat.

Caput mortuum erat nigrum & adhuc valde foetidum, non porosum uti prius, strictim pendebat scrupulos septem, ex aeris concursu tandem quidem in pulverem humidiusculum fatiscebat, sed minime deliquescebat. Cum aqua destillata digestum, dabat Lixivium brunnum, quod evaporatum salis alcalini reliquit drachmam unam & dimidiam; Terræ supererant scrupuli duo & grana octo, sal fortem cum acido inibat fermentationem & sedimentum paucum nigrum deponebat, terra vero non alterata est ab acidis, nisi quod fortem spiraverit odorem.

§. XV. Recipiebam postea triginta folia, eaque probe contusa in aceti destillati unciiis duabus macerabam per duos dies; tertio die per arenam destillans, primo aquam limpida, dein acetum purum accipiebam: Igni vero aperto exposita retorta etiamnum

stillabat liquorem flavum, oleum nigrum empyrevmaticum, remanente in retorta capite mortuo.

Aqua limpida insipida & fere etiam nullius odoris erat, neque cum alcali, neque cum acido effervescebat & pendebat dimidium unciae.

Acetum purum ab aceto destillato solo odore & graveolentia erat distinguendum, non æque in sapore, primum tantum stillabat acidulum & gradatim majore acore proveniebat, quod ultimum fuerit acerrimum cum alcali mirum in modum effervescens; pendebat uncias tres & drachmam unam.

Liquor flavescens turbulentus erat, non solum acido, sed simul etiam acri pollebat sapore, cum aliqua amaritie mixtus: Odore volatili empyrevmatico, cum alcali mixtus acriter effervescebat & post horas duas sedimentum deponebat, leve, paucum & flocculentum, pendebat unciam unam.

Oleum empyrevmaticum nigrum erat consistentiæ spissioris, odoris foetidi minus volatilis.

Caput mortuum omnimode primo erat simile; pendebat drachmam unam & grana octo.

§. XVI. Denique recipiebam triginta folia eaque contusa cum aquæ fontanæ uncia una & tribus drachmis fermenti panis, in retorta bene occlusa, leni calori exponebam; secundo die sese incipiebat elevare & turgescere massa; die sexto fere totam retortæ cavitatem implebat, hinc agitabam, ut particulæ aereæ sese extricarent & massa iterum subsideret; die decimo rursum implebat fere cavum retortæ, repetita vero agitatione iterum subsidebat & duodecimo denique superius monstrabat tunicam albam mucosam & situm contrahebat, non amplius turgebat massa; ceterum gratissimum spirabat odorem. Et tandem decimo tertio die illam cum in arena destillarem, primum accipiebam phlegma turbulentum, deinde acetum, postea liquorem flavum clarum: Tam diu itaque elaborabam tentare quid in arena possem experiri, quum vero nil amplius prodiret, aperto igni exponebam retortam, quo facto Liquor flavus turbulentus & oleum empyrevmaticum ex brunno rubrum profluebat, remanente capite mortuo.

Pbleg-

Pblegma erat iners, mucidum, cum nullo liquore effervescebat, alcali tamen admixtum clarius illud efficiebat & sedimentum flocculentum matricis, instar illius, aliarum aquarum destillatarum deponerat.

Acetum aceto fortiori destillato simillimum, odoris tamen graveolentis adversi.

Liquor flavus clarus: præter aciditatem extraordinariam, acrimoniæ quid volatilis fovebat, quæ etiam odore sese manifestabat, cum alcali fortiter effervescebat, orto strepitu pariter ac spuma insigni.

Liquor flavus turbulentus: volatilis erat paululum c. acido non æque cum alcali effervescebat.

Oleum ex brunno-rubrum: itidem spirabat volatilem, sed longe graviolem & empyreumaticum odorem, per acetum destillatum adfufum in spumam abibat & acetum rubro colore tingebat.

Caput mortuum erat primo simillimum omnibus qualitatibus, si pondus excipias, pendebat scil. drachmam unam & dimidiam.

§. XVII. Haud procul a meta recedere mihi videtur prima conclusio ex reagentibus deducta: quod enim attinet principium mucaginosum, vel ipsis prope manibus palpabile est, ab igne vero destruebatur: principium sulphureum duplex in propatulo est; nam in primo experimento accepi materiam flavam spissiusculam & oleum empyreumaticum; in secundo vero utrumque ab alcali ita exaltatum fuit, ut alterum in forma Spiritus volatilis, alterum quo ad maximam partem instar rubicundi olei arcum retortæ transcenderet; in tertio autem experimento utrumque ita ligatum fuit, ut alterum acido aceti mixtum, instar flavi turbulenti liquoris, alterum instar teterimi olei spissi recipientem peteret: & hac ratione in quarto etiam experimento, facile distingui eadem potuerunt. Certior præterea reddor, quod ex suapte natura nullum contineat acidum & sic mutatio Syrupi Violarum huic non sit adscribenda, sed principio ut monui, volatili quod magis infringitur & figitur ab acidis; Inde mirandum non est, quod acida etiam in praxi vera se præbeant antidota, contra ejusmodi sulphura vaporosa regni vegetabilis. Nam quamvis in experimento quarto acerrimum sese manifestaverit acidum, id

ipsum ramen magis fermento panis, quam plantæ ipsi adscribendum est; ex eo ipso potius experimento ad verum alcali, volatile & fixum argumentari licet; primo enim liquor flavus posterior cum acido effervescebat, oleumque in spumam resolvebatur per acidum, & secundo omnia capita mortua monstrabant alcali fixum, quo modo autem in eodem experimento duo contraria evenerint, ipse nec dum concipere queo, nullus confiteri dubitans, quod credam, acidum solum dependere a fermento panis & alcalinum principium esse productum fermentationis ejusque adminiculo sulphur, volatilifatum fuisse, vel errorem irrepsisse, quod scil. massa aut tarde aut festinanter nimium destillationi fuerit exposita. Quod denique Terra pondere, ipsum alcali fixum æquet, ex omnibus patet experimentis.

§. XVIII. Mucago Sulphureum Volatile alcalinum principium, Sulphur vaporosum crassum, Sal alcali fixum & terra constituent, ideoque mixturam solani furiosi. Hinc non est cur miremur, quod resistat putredinosæ corruptioni, quod mitiget acres & corrosivas particulas, quod impuritates abstergat & dolores sedet: patet id primo intuitu generatim; mihi vero nondum satisfacit, sed modum agendi in cancro medendo, quantum per exiguam virium facultatem licebit, specialius mihi explicandum sumsi; ea propter necessarium duco, canceri qualitates & indolem corruptionis inde oriundæ investigare, ut utroque pensitato & invicem inter se collato, ad eo certius conclusum devenire queam.

§. XIX. Quemadmodum vero argumentum hoc & singularis de cancro tractatio multis jam speciminibus exarata sint & secundum omnes hypotheses ventilata in scriptis prostant, ego vero brevitati præsertim studeam, non adcusandus ero, si concisè ut ajunt & brevissimis rem omnem exponam: Ideoque signa & quidquid non propius ad scopum pertinet omittam, multo minus vero disceptabo, an cancer ex atrabile secundum HIPPOCRATIS & veterum opinionem, an vero ex succo nerveo corrupto, secundum WILLISII sententiam originem trahat; vel an non corruptionem hanc constituent vermiculi minutissimi, microscopio visibiles; an occultus a coagulante acido initium capiat, nec ne; vel an aperti corruptio sit acida, an alcalina; an can-

cancer sit contagiosus; an nomen acceperit propter figuræ similitudinem, vel pertinaciam, qua æmulatur animal, quod simulac quid corripuerit, non facile illud dimittit; an ille rectius canceri occulti nomine veniat, cancer, qui internis partibus inhæret, nec ne?

§. XX. Ego illum declaro cancerum occultum, qui nondum est apertus, siue resideat in interioribus, siue in exterioribus partibus: Estque Tumor vel sponte, vel ex aliqua violentia externa ortus, scirrhus, aliquatenus sanguineus, in parte ex sanguine, lividi vel ex rubro nigricantis coloris, ab initio quandoque vix pisi magnitudinem adæquans, tamen insequente temporis mora in maiorem molem accrescens, sæpius per longum tempus, nonnunquam sine, sed tamen non omni dolore, qui ferocior evadit per tactum, persistens, postea vero majoribus cruciatibus lancinantibus, pungentibus atque ardentibus affligens.

§. XXI. Ex hac descriptione satis clare jamjam elucescit qualem cancer foveat corruptionem, est enim facta stasis sanguinea, quæ ex ipsa sua natura in corruptionem putredinosam abiret, nisi orta fuisset in parte ex sanguine, ubi lymphæ admixtio eam impedit, non solum glutinosis, mucaginosiis qua pollet partibus, sed & salinis plurimum, corruptionem inhibentibus, idque eo magis, quo largior sanguinis sinceri affluxus denegatur.

§. XXII. Et hæc ætiologia jam veteribus fuit, sed quasi sub pallio, cognita, dum duplex cancro tribuerunt venenum, ipsi jam animadvertentes, quod uno extincto alterum latius se extendat; estque probatu facillima: quod enim semper glandulosi, tendinosi, membranaceo-cutaneis partibus inhæreat cancer, quotidiana loquitur experientia, sanguinis vero præsentiam monstrant dolor & color, pure enim seroso lymphalis scirrhus indolens & pallidus existit; Et si exciperes, dolorem dependere ex corrosione salina, respondeo, quod concedam ex parte, cum dolorem illum lancinantem pungentem, rodentem, quidem hinc derivare liceat, sed simul conjunctus est sensus ardoris, qui minus producit a corrosione salina, sed inflammationis sanguineæ effectus est: Sic scirrhus pure lymphalicius indurescit, quam in corruptionem abit. Putrida denique corruptio facile distingui potest suo fœtore, a lymphatica corruptione.

Cognitum porro habemus, si putredini occurratur medicaminibus, dolores lancinantes, rodentes & ipsam etiam corrosionem & exesionem exasperari, e contra si huic occurratur putredinem augeri: & quid tandem aliud est fundamentum notabilis illius observationis, quod medicamenta illa, quæ in sanguinem vel minimum agunt, promoveant incrementum occulti canceri; Si enim sanguis irritatur, affluxus & consequenter putrida augetur corruptio, & deficientibus in sufficiente quantitate minusque resistentibus particulis, salino mucilaginoso lymphaticis, citius ruit in apertum cancerum.

§. XXIII. Legi quidem haud ita pridem Dissertationem Clariss. Dn. KALTSCHMIDII sub præsid. Excellent. Dn. TEICHMEIERI ventilatam, in qua satis demonstrative & uti vocant mathematica methodo, contradicentem thesin invenies tractatam; quod scilicet sola lymphatica acido-acris stasis sit causa proximior canceri: Sed quanquam eruditionem admirer, totam tamen dissertationem superstruxisse videtur autor, syllogismo haud firmiter concludente; §. XIII. Si stasis sanguinea in præcipitem ruit corruptionem, lymphæ vero corruptio longius requirit tempus, sequitur cancerum, qui etiam est longioris moræ, esse stasin solummodo lymphaticam. A. E. Limitemus: minime sequitur, quod eapropter debeat esse sola lymphatica stasis, sed tertium datur, mixta potest esse, ex sanguinea & lymphatica, & si id non esset parotides etiam essent canceri occulti, sed compertum est, eas plane differre a natura canceri occulti, easque maturantibus in abscessum mutari posse sine ullo detrimento vel resolvi posse per calida resolventia, quod sane in cancro occulto maxime opere dissuaderem; Sic notum porro est, stases pure lymphaticas citius indurari, quam acredinem contrahere & corrumpi, ob partes glutinosas, quæ salinas quasi involvunt & ligant. Hinc melius argumentandum esse statuo: Si sanguinea stasis pure talis præcipitem incurrit putredinem, stasis vero lymphatica ob glutinosas & salinas partes tardam saltem admittit corruptionem, sequitur cancerum esse lymphaticam stasin. A. E. Si vero color, dolor, fœtor, & experientia (vid. §. XXI.) monstrant, sanguinis præsentiam in stasi cancerum constituyente, sequitur cancerum non esse solam lymphaticam stasin A. E. Si itaque

itaque nec lympham nec sanguinem excludere possumus, necesse est ut stasis sit mixta & particulæ salino mucidæ putredinem sanguinis subitam inhibeant. A. E. Exemplo sit: Si scemina mammæ concussionem, vel aliam injuriam fuerit passa, & existit scirrhus, ille colore dolore & inflammatione veram sanguineam indolem monstrat, & sine dubio vel in corruptionem putredinosam, vel maturacionem abiret, si in alia carnosa esset parte, sed quia parti glandulosæ inhæret & statim lymphæ accedens immiscetur corruptionis impetus infringitur, & sic per longum tempus persistere potest, usque dum ipsæ partes lymphaticæ etiam acrimoniam conceperint & sic putredinoso corrosiva existat corruptio.

§. XXIV. Multa adhuc de cancri indole adjicere, multa alia immiscere, variasque causas percurrere possem, an temperamentum vere aliquid causare, vel diæta inordinata aliquid conferre, an venæ sectio justo causis generati cancri annumerari possit, & quæ sunt reliqua; possem dolorum æthiologiam inspergere, quod non omnis dolor continui læsionem involvat, quod sint activi & passivi, monstrare; possem mammarum structuram & glandulosarum partium fabricam anatomice disquirere; sic porro causam investigare cur facilius recurat malum, quasi per palindromen, quanquam etiam penitus fuerit sublatum; Sed placet intacta relinquere quæ minus ad scopum pertinent & in via recta propositum ad finem perducere.

§. XXV. Hinc accedo ad explicandum modum operandi, sed qualem hic in eo labyrinthum! quales difficultatum spinæ, premunt virtutis specificæ explicationem! quanquam enim possibilis physica actio ubique satis clare demonstrari potest, sancta tamen manebit veritas, longe aliam esse illam in vivo corpore; alias physica necessitate, ut semper suum effectum ederent specifica, necesse esset, id tamen quod non sit, tristis docuit experientia: necesse esset, ut semper a priori detegere possemus plantarum virtutes, cum experientia teste, illa methodus quæ in demonstrando dicitur, a posteriori semper sit prior, priore, & tunc demum nobis liceat probabiliter a priori demonstrare, ubi res a posteriori satis jamjam fuerit patefacta. Hoc exemplo solani furiosi abunde comprobatur; Quis enim illud
cancro

cancro a priori destinaret? cum potius huc usque pro veneno fuerit diffamatum, quod tamen facto experimento etiam rationi consentaneum esse, probabo.

§. XXVI. Cancer fovet corruptionem putridam (§. XX. XXI.) Belladonna continet principium volatile, quod resistit putredini, (§. IX. n. 9. X. XVI.) continet Sulphur vaporosum, quod crasin sanguinis invertit & corruptioni ineptum reddit, uti WEDELIUS de omni tali sulphure asserit. Cancer porro fovet corruptionem lymphatico-salino-acrem (§. XIX. XX. XXI.) Belladonna eam infringit (§. IX. n. 10.) præsertim mucagine acres partes obtundit: (§. IX. n. 1. §. XVII.) Canceri impuritates requirunt & indicant abstersionem eamque præstat Belladonna principiis balsamicis & alcalinis: Tumor resolvi debet, idque Belladonna agit principio volatili & vaporoso sulphure: Affluxus & congestio, quam intueri licet ex vasorum turgescencia, vult discuti, idem principium volatile & sulphur vaporosum id præstant. Dolores exquisitissimi cancrum concomitantur, iis triplici modo Belladonna medetur, affluxum discutiendo, acrimoniam infringendo, & sulphure vaporoso specificè eos sedando. Nervus ideoque primario in illo consistit curationis felicioris, quod non facile detur medicamentum abstergens, resolvens, discutiens, quod non simul in sensibili hoc morbo irriter; cum autem hæ virtutes in Belladonna mirabiliter sint conjunctæ & cum sedante simul & leniente principio disjunctæ, illa indicationibus iis satisfacit, sine ulla irritatione & sic cancro felicius medetur.

§. XXVII. Sed hic subsistere cogor; quomodo enim principium volatile corruptioni resistat, sal alcali abstergat, sulphur vaporosum dolores auferat & affluxum discutiat, ego quidem penetrare nequeo: si eruditorum libros evolvere, plerumque idem per idem dictum invenio, & sic quidem quoque aliquid dicere possem, ne nil dixisse videar, sed præstat paupertatem agnoscere, quam pauperem esse & velle videri divitem: Sit nobis exemplo difficultatum quaestio: Quomodo narcosi exerceant narcotica? WILLISIUS, anatomia clarus, a spiritibus animalibus pessundatis, venenatis, extinctis & destructis derivat; sed respondebit forte quispiam, si spiritus animales

males sunt extincti, subsequitur mors, novi enim spiritus non possunt generari, quia requiritur actus secretorius, qui perfici nequit sine spiritibus animalibus, ergo non possunt esse extincti & destructi; Hinc Celebris WEDEEIIUS & alii illud limitant, in explicatione modi operandi narcoticorum, & saltem obnubilari & jure suo spoliari credunt: Sed alius statim hanc rem secundum suam hypothesin explicaturus, ipsi spiritus, inquit animales sunt entia ficta, vel quærat, quomodo narcotica obnubilent? quomodo motum fluidi nervei per sulphureum vaporem fere extinguant? vel quomodo minus amice operentur, & petita ab eodem explicatione distinctiori audies, esse quandam relationem corporum inter se & quia sulphur vaporosum aliter atque aliter se habeat ad nervorum structuram, illos debilitari, relaxari, ut percipi nequeant dolores; sed quæstio nihilominus manebit, qualis sit illa relaxatio corporum? quomodo se habeat Sulphur vaporosum ad nervorum structuram? quomodo relaxet? Scriptum invenies porro ab æquilibrii patronis, quod somnum inducant narcotica sanguinem commovendo, expandendo, impellendo, attenuando & ita pressionem nervorum, meningum oppletionem & sublationem æquilibrii perficiendo; sed probe scio id quidem verum esse de spirituosorum atque inebriantium actione, si somnum inducant, sed ex narcoticorum usu pulsus imminutus, debilitatus fieri, comperimus, quod contrarium commotionis, expansionis, impulsione & attenuationis sanguinis indicium est: imo si in minori dosi sumta fuerint, continuo labore & corporis motu impediri potest somni invasio, qui tamen orgasmus si adesset, augeret potius: & pari ratione aliorum forte scoticus leget, animam, si sentiat adversum illud sulphur vaporosum, relaxare nervos, sese subducere & aufugere, & interrogabit, quorsum? Sulphur vaporosum se extendit, & demum inficiet totum corpus vaporibus, ergo extra corpus aufugere deberet anima. Quantus ideoque dissensus est inter ipsos Doctos! & quis vitio vertet mihi? quod judicem tot sententiarum tantorum virorum me fingere nolim.

§. XXVIII. Singulis itaque opinionibus, autoribus suis reli-

D

Etis

Etis & perlustratis quantum ingenio meo assequi licuit principiis & modo agendi, ad ipsam me accingo experientiam; primum forte scire cupidus erit Lector, quomodo innotuerit & usus & exhibendi modus, hujus solani nostri; Libros multos pervolvi atque pervestigavi, nec vero inveni, quod usus antea fuerit cognitus, nisi, quod nonnulli commendaverint solanum contra cancerum, non tamen mentionem facientes, an externe, an interne usurpandum, nec quomodo adhibendum sit: Alii vero iique plurimi externe usurpandum laudarunt succum. Hinc directe hoc experimentum pro novo venditare nequeo; Sufficit, quod ego illud primum acceperim, a medico patrono honoratissimo, amico Venerando, quocum communicatum erat a Celebri quodam Medico, nunc beatæ memoriæ Doctore SPÆTH, & denique confirmatum sæpius audiverim ex ore Excellentissimi Domini Dr. & Prof. JUNCKERI, præceptoris pie colendi: Ipse hic meus Venerandus Præceptor periculum fecit & in aperto æque ac occulto cancro tollendo bene sub manu successit negotium; quum itaque nunc ab eo exempla peterem, benevole annuit, & duos præsertim casus notatu digniores mecum communicavit, (sed simul etiam addidit, se nonnunquam sine illo effectu adhibuisse) quos nunc proferam & ad fidem & famam Tanti Viri provocans enarrabo.

§. XXIX. Honoratior scemina, præfecti cujusdam vidua, 42. annorum, à præmatura mensium cessatione, congestiones versus mammas passa est, factis hinc stasibus & superveniente adhuc minus apta tractatione, nodi & ulcera cancrasæ indolis, exorta sunt; misere excruciatam denique imploravit opem Excellentissimi JUNCKERI, qui ipsi decoctum solani hujus præscripsit, eo modo iisque cautelis usurpandum, uti infra docebitur: non satis extollere potuit, ægra medicamentum hoc, laudibus, cum eximios plane effectus, abstergendo, resolvendo, discutiendo & tandem etiam successive consolidando præstitisset, ut penitus convalescens, per longum tempus integra valetudine frui potuerit: Per insignia vero posthæc animi pathemata commota & turbata, altera vice congestiones ad mammas experta est, una cum stasibus & corruptionibus ejusdem indolis brevi subsequen-

quentibus: Ubique locorum Belladonna frustra quærebatur, interea vero cancrosum malum ita exasperabatur, ut prius & gradu & malitia multo superaret; unde factum est, ut accersita etiam ex alienis locis Belladonna, nihil, denuo adhibita proficeret, contra vim hujus morbi: Decreta vero, a medico, alia medicamina, ita quidem, ut singulo die mercurii dulcis grana duo, cum absorbente quodam mixta versus noctem præberentur, conjunctis pil. balsamicis mane sumendis, exoptatum eventum brevi post habuerunt; omnes enim nodi & ulcera cancrofa, sine subsequente quidem salivatione, sed copiosioribus excretionibus, alvinarum fœcum, urinæ & muci narium, feliciter resoluta, impuritatibus absterfis, doloribus ablatis, disparuerunt & sic tandem secunda valetudo, tam gravi morbo affectæ fuit restituta.

§. XXX. Juvenis quidam rusticus, 20. annorum, cujus, cum linguæ leviores insiderent pustulæ, a barbi-tonfore ejus loci inepte adhibitis causticis nempe adstringentibus vitriolicis tractabatur, quo facto ita exacerbabantur hæ pustulæ, ut tandem in ulcera fulcata vere cancrofa, induratis marginibus cincta degenerarent: aucto itaque morbo tandem consuluit Venerandum Præceptorem meum: præscripsit hic Decoctum ex Belladonna paratum, nec spem fefellit effectus, sed ex voto feliciter successit, primum enim crustæ illæ induratae, callosæ, partim abscesserunt, partim vero resolutæ sunt, & postea mundificata & absterfa ulcera sese consolidarunt.

§. XXXI. Ab alio quodam medico, amico meo, sequentia communicata accepi: Nobilis puerpera, 36. annorum ex lochiorum deficiente fluxu passa est congestiones versus mammas, & cum præterea infantem alii mulieri, nutrici, lactandum dedisset, stasis in sinistra mamma facta, nodo duro postea exorto viam paravit; adplicarunt ut moris est, cicutæ & petroselini herbam contusam mammae, sed nodus permanfit. Finito postea puerperio, menses non experta est, sed singulis mensibus per nonnullos dies dolores in mammae sinistrae nodo passa: sic annum fere degit, sed animi pathematibus dein supervenientibus, ita exacerbatum est malum, ut die nocteque doloribus angereetur. Cum tandem medicus in consilium adhiberetur, cancerum

hunc occultum esse statim agnovit, simulque Decoctum e Belledonna pariter ac methodum atque cautelas præscripsit; peracto primo curationis termino malum quidem videbatur rebelles, cum nodus nil plane fuerit alteratus, nisi, quod dolor & color fere disparuerint: At secunda repetitione facta, sensim hic nodus resolutus & discussus est, quam felicissime, ut menstruis postea in ordinem redactis, plenaria gavisâ sit sanitate ægra.

§. XXXII. Virgo, 24. annorum, bene menstruata, ex improvisa & fortiore vellicatione amantis, fuggillationem accepit in mamma sinistra, de qua vero nil plane mali pertimescebat, cum dolor vix posset sentiri & protinus plane cessaret: parvulus denique exortus est nodulus, qui sensim crescebat, quemque nemini detegendum pudor ipsi suasit: contigit interea, ut cum, dextra ex alto aliquid petere, vellet, ictum subito in mamma gravissimum persentisceret, vere ac si sagitta mammam perforaret, ex quo temporis momento perpetuos inde hausit dolores, eosque asperrimos, nodus vero ita augebatur, ut brevi nec thoracem induere, nec quidquid agere posset, nisi cruciatibus atrocissimis. Necessitatis itaque telo urgente, fessa est matri, quæ, more muliercularum aliarum, ungebat & cataplasmatibus atque emplastris locum obtegebat, sed ignem igni, ut ajunt, potius addebat, ut cardialgiâ, doloribus & Agrypniâ fere tota emaciata fuerit, nec ipse locus affectus amplius admiserit, uti dicunt, emplastrum: Medicum igitur consuluit tandem, qui Decoctum solani nostri, ipsi præscripsit; Sed ter etiam repetita curatio nil amplius effecit, quam quod dolores & agrypnia cum ceteris symptomatibus multum remiserint. Ea propter mercuriales absorbentes pulveres adhibendos suasit medicus & his, subsequente lenissima salivatione, tandem victus est nodus, quatuor hebdomadum spatio, sicque integram sanitatem ægra recuperavit.

§. XXXIII. Patebit exinde Lectori Benevolo, quod notatu dignis commotus fuerim, historiis, hujus materiæ scrutationem pro themate dissertationis seligere, subnasceretur vero forsân alicui dubium, me directe asserto illi parentis, principis medicorum HIPPO-

CRATIS contrariari, quo suavitatis eos non curare, quibus canceri occulti sunt: *Aphorism. 38. S. 6.* sed consentiunt omnes medici, hunc aphorismum cum grano salis esse accipiendum, primum enim ad occultum solummodo pertinet, non æque ad apertum, illa admonitio, ex eo capite, quia longius persistere potest, quo minus irritetur, hinc secundo illa tantum valet, de medicaminibus irritantibus, quia etiam lenissima in hoc sensibili morbo affluxum augent & eo citius corruptionem putredinosam accelerant; si vero datur medicamentum, quod affluxum non auget, non irritat; Sed potius discutit, resolvit, dolores sedat, corruptioni resistit, acridinem infringit, vid. (§. XXV.) quis quæso credat, illud exacerbare cancerum? Itaque sic intelligendum puto Aphorismum: Plurima medicamenta plus irritant cancerum, hinc ab illis abstinere eumque non curare consultius est, quam curare, si enim irritantibus tractatur, citius abit in apertum. Sed hoc non valet, de nostra Belladonna, quia simul dolores sedat & ab omni irritatione aliena est.

§. XXXIV. Tandem describemus modum propinandi; uti vero de omnibus specificis valet tanquam axioma, quod semper debeant præmitti generaliora, si optatum specificorum effectum experiri velimus, illud omnino etiam hic observandum est. Primæ viæ itaque sunt purgandæ, & Venæ-sectio, si conspicua adest plethora, instituenda: ad priorem scopum commendo leniora, quæ nullum sanguini orgasmum inducunt, præsertim Rhabarbarina, Sallia laxantia, Mercurium dulcem, Pil. balsamicas Stahlii genuinas, Helleborata, quæ a veteribus specificè laudata leguntur, an vero ob veterum opinionem, quod purget atram bilem, an ob specificum insitum Sulphur quoddam placans vaporosum, (quibusdam enim cognita est methodus, qua Hellebore extractum ita præparare possunt, ut sedantes exerat effectus atque virtutes,) ei adscripserint specificam vim, determinare non audeo. Quo ad secundum vero scopum probe notandum, quod dixerim, si adsit plethora conspicua, cui addo, nisi contraindiantia prohibeant.

§. XXXV. Quæstio huc etiam pertinet, si causa antecedens fuerit

fuerit mensium vel hæmorrhoidum suppressio, an illæ sint ante vel post curationem specificam canceri revocandæ? Limitandum me iudice erit: si enim in primis principiis mali, ubi vix inceperit, restitueremus menses, non errabimus; attamen & hic caute procedere jubet sensibilis affectus, & lenissima eligere, e.g. pil. balsamic. genuin. Stahlî cum pulveribus antispasmodicis, singulo mense per aliquot dies utendo, ut naturæ saltim via, quasi digitis monstretur, simul vero spasmi & orgasmus blande contemperentur: Si vero altiores malum egerit radices, tunc etiam lenissima emmenagoga statum morbi exasperant, melius ideoque antea instituitur canceri curatio, præmissa tamen largiori V. S. & postea negotium sanguinis respicitur. Hæmorrhoides autem quod attinet, eas præcaveri & sanguinem aliorsum emittere consultius esse credo, uti D. D. PRÆSES solidissime id explicavit in dissertatione *de Hæmorrhoidibus præcavendis*; Cogimur autem nonnunquam pertinacia motuum ad easdem promovendas, & in eo casu, sub ipsa canceri curatione sanguifugas ano adplicandas esse, credo.

§. XXXVI. Præmissis proinde generalioribus, specificus Herbæ nostræ usus ita instituitur; Recipitur Herbæ quantum sufficit pro decocto modice saturato, & præparatur leni ebullitione decoctum: hujus primo die mane præbetur Cochleare unum; Altero die, duo; tertio, tria cochlearia, & sic dosis augetur tam diu, quam æger nullam sentit propensionem ad somnum, quam primum vero somnolentia aliqua sentitur, subsistitur in eadem dosi, & continuatur per novem, duodecim, quatuordecim dies, impedito solcite per ambulationem aliasque operationes, somno. Transactô curationis terminô, eodem denique ordine descenditur, & in totum finitô iterum primæ viæ purgentur, quod optime iis succedit, quibus simul tonica vis inest, ut stupor forsan intestinis per longiorem hujus decocti usum inductus, remittat, & tonus restauretur. In ipso vero curationis hujus termino ab aliis medicaminibus abstinendum est, nisi sicciior alvus requirat lenientia. Si primæ curationi non cedit atrocior affectus, altera vice iterandus est usus, & si tantum

tum aliquid levaminis attulerit, tertia vice repetendus erit: plerumque vero primo termino præterlapso symptomata mitigantur & de eventu jamjam prognosin formare licet: Sic sensim sensimque dolores remittunt, color evanescit, Tumor dissipatur & ægro fanitas integra restituitur.

§. XXXVII. At, proh dolor! Idem comperimus fatum in usu solan hujus, quod §. XXV. generaliter de specificis dictum est, & quod ex casibus jamjam recensitis, est videre; fallit scilicet nonnunquam medici spem, an vero ex morbi malitia, an aliis concurrentibus causis, ego adhuc certo discernere nequeo, & si conjecturæ valerent, hanc forte latere differentiam, quod magis in sanguineas partes agat, putredinosæ corruptioni resistat, imo acrem lympham corrigat, ubi vero Lympha in toto corpore fuerit spissa, lenta, & ipsa stasis magis lymphatico mucida, ibi fortius requiri resolvens, suspicarer. Id quod conjicere licet & ex experimento 9. no §. IX. ubi crasis sanguinis plane fuit inversa, ut corruptioni non amplius fuerit apta. Secundo, ex Experimento 12mo §. IX. ubi quidem acredinem & aciditatem invertit, sed serum lactis tamen mucidum & lentescens valde reliquit, tertio ex eo, quod mercurius semper illis medeatur cancris, ubi solani nostri usus nil effecerit, & quarto denique, consentire videtur Marianus in dial. Chirurg. 1. de ulcerib. solanum, inquit, habet facultatem resolvendi apostemata calida.

§. XXXVIII. Hinc si etiam affectus nonnunquam respuerit herbæ hujus salutarem effectum, tria tamen observantur commoda: primo, quod nil mali ex circumspecto usu metuendum: Secundo, tamen semper symptomata quodammodo mitiget: tertio quod eo securiorem, non amplius irritantem, & certiore mercurii dulcis effectum nobis promittere possimus. Singula hæc confirmantur & ratione & experientia. Propterea non inutile credo, si de mercurii adhibendi modo aliquid inferam, minus sollicitas de operandi modo, perinde enim mihi erit, agat & resolutionem præstet, vel adhærendo, vel premendo pondere vel salium adminiculo, uti pluribus

bus de eo agendi modo differit *Juones Joannes* STAHLIUS in peculiari dissertatione *de mercurii agendi modo*: vel cum particulis sulphureis acribus in sanguine per motum & calorem, modo sublimationis, abeat in tertium dulce Cinnabrim scil. uti non ita pridem mihi persuadere & ex eo fundamento demonstrare, quod sanguis post mercurii dulcis usum, antea flavescens, ater, compareat elegantissimo rubro colore, Chymicus quidam conatus est.

§. XXXIX. Primo ideoque monendum, hunc adhibendi modum prolixè & doctissime in dissertatione Clariss. Dn. HAVIGHORST *de singulari mercurii dulci usu*, in desperatis quibusdam morbis, sub præsidio D.D. PRÆSIDIS communicatum esse & tribus insistere momentis: 1) ut mercurius dulcis in minima dosi præbeatur, 2) ut per longius tempus continuetur, 3) ut salivatio impediatur. Quod sequentem in modum præstatur; singulo vesperi ante cubitum grana duo mercurii dulcis cum decem vel pluribus granis absorbentis cujusdam, & omni mane lene laxans præbetur, lenis ceterum diapnoës promovetur & sic per tringinta vel plures dies continuatur, huic curatione sane cedunt atrocissimi & pessimi morbi, cancer uterque, ulcera phagedænica cancriformia, venerea, scirrhi indurati, parotides, excrescentiæ fungosæ & alii plurimi, de quibus si specialiores casus & ulteriorem cupit instructionem quispiam, modo laudatam dissertationem inspicere placeat.

§. XL. Forsan Lectori in mentem incurret dubium: si mercurius dulcis solus jam sufficiat cancro curando, non opus esse solani decocto. Sed annon securiorem effectum edat Mercurius dulcis præmisso illo decocto, meditandum eidem relinquo; nam si fortior mercurii actionem consideramus, primo ab acrimonia in cancro præsentè aliqualis inversio in indolem venenosam, & a fortiori resolutione aliqualis irritatio, metuenda est; Deinde alteri corruptioni scil. putredinosæ eum imparem esse non dubito: nonne itaque securius adhibetur, placatis doloribus, inversa acrimonia, sublata putredine & discusso antea affluxu? præsertim vero in cancro occulto bene attendendum esse puto, mercurium quidem Lympham spissam

sam attenuare, sed simul Lympham copiosius versus illas glandulosas partes derigere, quæ læsione continui laborant, alias æque bene phthificis ad ulcus mundificandum præscriberetur, nisi ex eodem fundamento metuenda fuerit particularis salivatio; si itaque lymphæ copiosius illi loco advehitur, ea in aperto quidem ad abstergendum ulcus ejusque impuritates salutaris esse potest: Sed in occulto excerni nequit & facile ab acri jam lymphæ quoque infici & majorem ejusdem perniciem efficere posset. Hæc de mercurio: sufficiat, quod, præscripta rationali methodo, ordinatus, ibi secure & cum magno emolumento operetur, ubi decoctum nostrum, morbo tollendo fuerit impar.



§. XLI. Redeamus in viam: Belladonna primum specificè cancro occulto destinata fuit, sed uti sæpius fit, ex improvviso etiam in aperto laudandas suas vires abstergendo & consolidando comprobavit; cum scil. ægro fuerit præscriptum decoctum, qui aperto & occulto simul laboravit cancro, inexpectatam & singularem etiam in aperto cancro efficaciam ostendit, eo quoque efficacius operari in eo potest, cum simul externe succus adhibitus symbolum non spernendum affert: Hic usus jam veteribus fuit cognitus, dum in iis scriptum invenio: Cancer nullo fere cedit medicamento, nisi ferro & solano, hinc vario modo illud in usum vocarunt, mox cum succo solo, mox in plumbeo mortario agitato, mox cancerorum fluviatilium succo mixto, mox aqua destillata, mox decocto, cancerum lavarunt, imo emplastra & unguenta inde confecerunt. Præferemus nos succum simplicem, ad abstergendum externe cancerum & relinquemus veteribus plumbum & cancos fluviatiles. Hoc præterea annotare volo, de externo usu: Legi in B. D. STAHLII dissertatione *de cancro* commendata olea empyrevmatica oleo ovorum mixta, & mihi in mentem incidit, an non majori emolumento fumatur oleum empyrevmaticum solani furiosi, quod copiose satis prodit in destillatione.

§. XLII. Non ineptum duco si annectam alios adhuc solani nostri usus, quos vel in veteribus scriptoribus legi, vel ipsa ratione ex crasi ejus concludo: primo non dubito, quod cum emolumento interne adhibeatur in aliis mali moris ulceribus, phagedænicis, verminosis, ex erysipelate natis, corruptis, inveteratis, cancriformibus,

præsertim in illis non adeo raris uteri exulcerationibus, ubi simul externe per instrumentum glaubermanum succus injici potest: Quid autem in aliis scirrhis internis sanguineis valeat, quid possit in carie, quæ in A. N. C. cancer ossium adpellatur, merito tempori & ulteriori scrutationi relinquo: Cæterum aquam solani HEURNIUS ad tria cochlearia potam, viscerum inflammationes sedare dicit, quod quidem comprobare nolo; nec usui interno radicis assentior, imo abhorreo, adhibeant alii qui voluerint, extreme sitientibus, vel agrypniis vexatis, vel cum FUCHSIO & DIOSCORRIDE Ictericis; Elegantissimum quidem esse medicamen, liberandi melancholicos & tristes a curis & meditabundis speculationibus, fortasse quis in animum induceret, qui Baptistæ MONTANI & PORTÆ leget commentationes, quod scil. exhibita radix, lætos & curarum domesticarum oblitos reddat sine omni noxa, sed consideret, suadeo, quod tamen caussa non sit sublata & postea pejus reddatur malum, relinquit enim appetitus defectum & alia incommoda, imo quod mentem turbando id efficiat, quæ in melancholicis satis turbata est: multo magis joci gratia tali medicamine uti christianos dedecet: Nec GESNERI denique mysterium, ad fluxiones sistendas, somnum inferendum, dolores tollendos, dysenteriam curandam; nec semen ad calculum arandum & diuresin promovendam commendo, quia meliora & tutiora prostant, quibus hisce indicationibus satisfacere possumus. Externe adhuc quosdam non spernendos effectus edit: præter internum usum enim, etiam externe, uti jam dictum, laudatur in ulceribus, ATRAGAULTIO, FUCHSIO, GALENO & plurimis aliis: porro maturantibus salutariter misceri posse, docet MARIANUS; Vesicatoriis leniendis, recentia folia imponenda commendat OCTAVIANUS ROBERTUS; moribus aspidum mederi mirum in modum folia cum oleo trita, alii scribunt; sed male denique etiam temporibus & fronti, somni conciliandi gratia, alii adplicant.

§. XLIII. Superest ut de Diæta pauca quædam obiter delibem, idque quidem, ne oblivioni dedisse videar; quod enim cibi debeant esse melioris notæ, non crudi, dyspepti; quod evitandus sit potus spirituosus, ne fiat orgasmus in sanguine, sed diluto, temperante & sufficiente utendum sit; quod frigus & æstus fugienda sint; quod

omnia



omnia animi pathemata sint evitanda; quod transpiratio insensibilis aliæque excretiones sint promovendæ & præsertim alvus semper aperta servanda, ipsa rei ratio suadet, vel etiam necessitas docebit: Sed hanc cautelam adhuc repetendam esse censeo quod somnus post sumtum decoctum ægrum per diem, ne invadat, omni diligentia per motum corporis impediri debeat.

§. XLIV. Sed jam postremam operi meo impono coronidem, ea, qua par est, observantia a Benevolo Lectore petens, ut expolitius iudicii sui acumen meis attemperet viribus, nec non imbecillæ annorum meorum ætati, præsertim vero, si qui irrepperint errores, benigniore dissimulare censura dignetur, ut lenior audiat interpres, omnium illorum, quæ forsitan in tractationis hujus veritatibus, vel exceptionem vel emendationem admittere videntur; Exuberante enim multarum rerum scientia turgere nolui, sed simpliciorē viam ingressus, nudam veritatem vel rudi depingere calamo contendi: Inprimis vero supremo quod in cœlis habitat NUMINI, mentem exhibeo gratissimam, pro incremento studiorum mihi clementissime concessō, pro ingenti beneficiorum a teneris in me annis, quam largissime collatorum multitudine ac copia neque minus pro jugi integræ valetudinis vigore, quo in aliis terrarum oris, in hunc usque diem, indulgentissime perfruor; denique & pro immensa DEI O. M. ope & auxilio, quo in levissimæ hujus dissertatiunculæ pertexenda tela, virium mearum tenuitatem sublevare, fovere, roborare ac refocillare clementissime dignatus est: Illi sit gloria in toto universo! Illi sit Laus in perpetuas omnium sæculorum æternitates! Illi quaecunque hoc opus meum, hic qualiscunque labor, hæc qualiscunque dissertatiuncula, Illi, inquam, soli, sacra sunt, qui totius universi, omniumque, quotquot in hoc continentur, rerum moderator arbiterque imperferutabilis in solius hominis usum ac felicitatem creavit, creata disposuit, disposita æquissime gubernat atque conservat, quin & venenatas plantas, saluberrimo usui ac emolumento destinavit quam sapientissime.

CLARISSIMO ET NOBILISSIMO

DOMINO CANDIDATO S. P. D. PRÆSES.

Sacram artem, vitæ & sanitati naturali ministrantem, quoad primam humanam inventionem

nem

nem & officiosam occupationem in ista traditio, nec sobria rationi, nec fundatæ observationi
um cognitione substituisse, communito enim orbe tam in statu consummatæ perfectionis, quam
hæc relatio contrariatur. Annus rerum Moderator protoplasii fruges telluris aut Vegeta-
bilium idonea assignavit subjecta, quæ vitæ atque sanitati hominum efficacissimam opem ferre
debuerant: hanc etiam viam antiquitus gentes tam altius sentientium & sapientium, quam
naturalem sensum, quæ ductum observantium sectatæ fuerant, ut e plantarum ferie tales ad
usum traxerint species, quæ aliis, sublimia affectantibus, viles & ignobiles videri possunt. A
fano Hæc in nostra usque scrutationum laboratoria plurima simplicia Vegetabilis regni
subjecta sanitati utilia deprehensa fuerant, quæ propterea numero, specie, temperie atque virtu-
te singula reliqua arte inventa multis modis superant: quare mox tertio Creationis die e tel-
lure plantæ, herbæ, gramina, frutices & arbores proveniebant, antequam quinto die animalia
viventia, aquatilia, ut & volatilia, & tandem sexto die terrestria creata fuerant: ob id illa vege-
tabilia multis modis reliqua congruo suo usu & comparata utilitate antecellunt. Suppellex
itaque vegetabilium ita constituta est, ut omnia eorum specialia subjecta, modo, quantitate, or-
dine, & tempore incongrue ordinata, perniciosos omnino edant effectus, hinc quorumlibet na-
turalium mediorum inconveniens ac perversus usus venenosas ita dictas operationes producit,
dum vicissim variorum virulentorum ita nominatorum subjectorum parvus & circumspectus u-
sus similem effectum prodere haud solet: Omnium medicamentorum inconsultus usus perni-
ciosus & venenosus existit: omnium vulgato modo venenosorum dictorum congruus usus me-
dicamentosam promittit virtutem: ita enim Jalappa, Colocynthis, Scammonium, Helleborus,
Cicuta, Hyoscyamus, variaque alia sub multiplici ordinatione nunc veneni, nunc medicamenti
instar operantur. Inter alia dubia & meticulosa Vegetabilia subjecta Solanum maxime in-
notescit, quod præc. furioso suo prædicato plurimis abominabile & a singulis fugiendum exhi-
bet subjectum; ita vulgo apud Botanicos tota hæc planta a radicibus usque ad baccas venenatis
adscribitur substantiis; quæ assertio multis comprobatur exemplis & tragicis historiis: etenim
ab incauto usu hujus subjecti non modo lethalis narcosis & resolutio omnium virium, sed & vo-
mitus, catarrhes, colica convulsiva, convulsiones, deliria variaque alia perniciose confectaria ex-
timefenda sunt, unde facile colligere licet, hanc speciem non solo adverso & inimico narcotico
sulphure operari, sed & salino quodam principio efficax & activum esse: utrumque autem mo-
dica quantitate intrinsecus adhibitum, haud noxios, quin rectius ad certas destinationes salu-
bres edere effectus, & quidem discutientes, resolventes, abstergentes, & sedativos. Quare Pa-
cellus ad ulcera inveterata, rebellia, valde impura & refractaria selecta sedativa commendat,
quæ non tam motus sufflaminando, quam pertinaces affluxus & congestiones minuendo, impu-
ritates efficacius detergendo, corruptionem ulteriorem & intimiorem cohibendo & averten-
do ipsamque diaphoresin conservando, imo plane augendo salutaria prædicantur: hinc herba
nicotianæ tam in medicina pharmaceutica, quam chirurgica miras promittit, imo exhibet utili-
tates. Hæc observatio exquisitè practica TE, CLARISSIMUM DN. CANDIDATUM
permovet, ut hujus terribilis alioquin Solani specificam virtutem medicamentosam in occulto
Cancro curatius indices atque solertius commendes. Præsens hæc Tua Inauguralis disserta-
tio, quam ipse docte & eleganter elaborasti, abunde de singulari Tua capacitate, eruditione,
assiduitate & mentis perspicacitate optimum certissimumque perhibet testimonium: Et qui
non ad vilia & vulgaria natus es, satis superque hæcenus laudabili Tuo ardore discendi & ex-
quisitos profectus in variis facultatibus atque disciplinis acquirendi, selectam Tuam indolem
comprobasti: quotiescunque Tecum verba miscere potui, quod certe haud raro contigit, to-
ties Tuam industriam & selectam animi facultatem & serenitatem probavi, & pro felici omine
optimorum successuum acceptavi; qui enim in variis Academiis egregios Studiorum profectus
assecutus es, is etiam de promeritis Summis honoribus Academicis confidentius nunc gaudere
& mea æque ac aliorum bonis & talis letus excipere poteris. DEUS impotterum hosce honores
gratia & benedictione sua sancit, efficiatque, ut sub reliqua prosperitate & animi corporis
que integritate Patriæ Tux multa saluberrima commoda & officia largiri queas. Vale. Dab.
Halæ Magdeb. III. Calend. Octobr. Festo Archangeli Michaelis A. R. S. clolcccxxx.

